

15

D. D.  
SPECIMEN ACADEMICUM,  
DE  
**U T I L I T A T E  
C H E M I A E**  
PRÆSERTIM IN  
**P H Y S I C I S ,**  
QUOD,  
CELEBERRIMÆ FACULT. PHILOS. DECRETO IN  
FLORENTISS. MUSARUM ABOENS. LYCEO  
PRÆSIDE,  
**Dn. Mag. JACOBO  
GADOLIN,**

SCIENT. NAT. PROFESS. REG. & ORD.  
ECCLESIAE FENNICAЕ ABOENS. ANTISTITE  
& REG. ACAD. SCIENT. SVEC. MEMBRO,  
PUBLICAЕ ERUDITORUM CENSURÆ MODESTE  
SUBMITTIT

**JACOBUS BENEDICTIUS,**  
OSTROBOTNIENSIS.

DIE XXVII NOVEMBRIS AN. MDCCLIV.  
IN AUDITORIO MAX. HORIS ANTEMERID.  
ABOÆ, Impressit Direct. & Typog. Reg. M. Duc, Figs.  
land, JACOB MERCKELL.

*Herr Mag. Gadd.*

ADSESSOREN  
OCH  
BORGMÄSTAREN  
I  
STAPPEL STADEN LOVISA  
HÖGÅDEL och HÖGACHTAD  
**HERR J A C O B  
FORSELL,**  
HÖGGUNSTIGE GYNNARE

**S**Edan i stället för wapne-brak, flögde-flam-  
mer, sjö-fart och bok-wett begynt läg-  
ga grunden til vårt kåra Fädernes-lands up-  
komst och flor: så hafwa många Högtan-  
fentliga Män och Wittre Snillen på åtskilligt  
fatt giort sig förtjente af deras uphjelplande  
och befrämjande.

At

At åfwen Herr ADSESSOREN ej warit  
Iottlös derutinnan , utwifar det anseende,  
hwaruti det Allmenna fatt EDER , til en wäl-  
förtjent belöning. Tillåt dersöre Höggunstig-  
ge HERRE at jag vågar mig til detta mitt  
skumma och ringa arbete låna ljus af E-  
DART Wittra Namn.

ALLMACHTEN giöre Herr ADSESSO-  
RENS År många, och af all andelig och  
timmelig wälsignelse fälla, FÄDERNES-LAN-  
DET til nytta, och den til outsäijelig fägnad,  
som räknar för sin största heder och lycka, at  
uti Herr ADSESSORENS Ynnest innesluten  
med ferdeles wördnad och högachtning fram-  
lefwa

### Herr ADSESSORENS

Ödmukaste tjenare,  
JACOB BENEDICTIUS.

*Admodum Reverende atq; Praclarissime,*  
**D<sub>N</sub>. M<sup>AG</sup>. HENRIC J.  
CARLBORG,**

*PASTOR & PRÆPOSITE in NERPES meritissime,  
Patrone Propensissime.*

*Plurimum Reverende*

**D<sub>N</sub>. M<sup>AG</sup>. ANDREAS**

*Comminister Templi Cathedralis Aboënsis*

**V**obis Patroni Optimi pertinues basce pagelles intus & honoris monumentum dedicatas, oculis beatissimorum. Conservet Vos DEUS ut eruditione Vestrâ prorectat vera Religio, cœu-

**ADM. & PLUR. REVER.**

*cultor hu-*

**JACOBUS BE-**

Admodum Reverende atq; Praclarissime,  
**D<sub>N</sub>. M<sub>A</sub>G. D<sub>A</sub>V<sub>I</sub>D  
S<sub>T</sub>A<sub>R</sub>C<sub>K</sub>,**

Ecclesiarum quæ DEO in urbe LOVISÆ, Pyttis &  
Elimæ colliguntur Antistes Dignissime Patronæ &  
Fautor certissime.

atq; Praclarissimæ,

**WETTERBLAD,**

vigilantissime, Fautor æstumatissime,

perpetuae devotionis & observantie documentum, cul-  
nignis ut adspiciatis, enixe & humillime oro & ob-  
moveatur hominum salus, vigeat ac in perpetuum flo-  
vovet & precatur

**NOMINUM VESTRORUM**

millimus;

**NEDICTIUS,**

Sandelsmannen i Stappel-Staden FRIEDRICHSHAMN,

Höga Chf ad


# Herr M A G N U S GIOSSLING,

Min Gunstige Herr Morbroder.

**S**uru otacksam wore icke jag om jag de mig af min Herr Morbroder mångfalt ertedde välgerningar förgåta skulle. Att de samma tillfullo wedergälla / dertil kan väl aldrig min förmåga stiga; men at dem i et tacksamt och wörd-samt minne behålla / kan och bör af mig aldrig förgåtas. Hwad uppmuntringar har jag icke haft af eder goda Lärdom och sunda insicht i allehanda wetenskaper / som ifrån ungdomen warit edra rädgifware? Hwad efterdömen of edor ofärgade dygd som beständigt warit Ebor ledsgagare? Emot alt detta är väl min erkäntsla sörre än at hon nu kunde tydas. Emottag dersöre dessa få blad til et litet wedermåle deraf. Den Högsste läte Edor lefnad vara fäll / och den dagen längt borta på hwilken Eder kara omvärdnad må fakna Eder wård. Med hwilken hjer-tliga önskan jag uti all upptencklig wördnad fram.

Min Gunstige Herr Morbroder.

Hdmiusa sjenare,  
JACOB BENEDICTIUS.



§. I.

**I**ntra disciplinas, quæ nostri seculi gustum  
blande afficere solent Chemia (*a*) in ce-  
lebratissimis haberi solet; neque vero,  
vel novus est, vel immeritus, qui exel-  
lentissimæ huic scientiæ sic contigit honos:

Sive enim originis antiquitatem, sive culto-  
rum quos nunc vel olim habuit dignitatem, sive  
rerum quas tractat jucunditatem vel denique & u-  
tilitatem species, deprehendes Chemiam vix cui-  
quam palmarum fore præbituram.

Etenim nulla est alia scientia, quæ natales suos  
majori certitudine inde a seculis ante diluvianis  
deducere queat (*b*).

Vix alia quæpiam, quæ tot Regum Principum-  
que proprias manus ad laborandum allexit, eo-  
rumque studia & conatus ita sollicitavit, ut animæ  
pariter ac fortunæ suæ nervos omnes in perlu-  
strandis ejus recessibus intenderint.

Ndilla, quæ pluribus oblectamentis & gaudio  
majori animum permulcet, dum effectus inopina-  
tos, admirandos præstat fere innumeros.

Colorum, saporum, odorum mutationes subitaneas jucundis nos decet experimentis. Terræ motus violentissimos & montes ignivomos solius limaturæ martis & sulphuris prudenti miscela stuperdis imitatur Phænomenis.

Tonitrua plus quam horrenda solius auri fulminantis & pulveris pyri ope præstat.

Quæ mirabilia & portentosa phosphoro effici possunt, chartæ non sufficiunt ut enumeremus.

Quomodo ex simplici miscela duorum liquorum frigidorum non modo aterrimi sæpe & copiosissimi prodeunt fumi sed flamma etiam eructet violenta, ne quidem cogitari potest absque summo animi curiosi oblectamento.

Hæc & alia id generis experimenta, qui rite perpenderit, non mirabitur, chemicos sua arte multa præstítisse jucunda & mirabilia, populo obstupescente & inusitatæ rei causam Dæmonum artibus tribuente (c).

---

(a) Vox chemiæ utrum à Chamo Noachi filio denominationem repeatat, an vero ad antediluviana referenda sit tempora, certo dici nequit, idque tanto minus, cum nec omni probabilitate illorum destituantur conjecturæ, qui vel à radice Arab. chama exarsit, calore examinavit vel à græca χειμ fundere eandem deducere satagunt. Hæc sententiatur divortia nihil potius, quam rei de qua disputatur incertitudinem evincunt, simulque summam vocis ipsius antiquitatem certo arguunt.

Inter varias vocis hujus significaciones illa maxime fatalis fuit, qua ad significandam Alchemiam, vel artem ex quibusvis metallis ignobilioribus aurum confandi, transferri

ferri sivevit; Evenit enim hinc teste Svidas, quod Diocletianus omnes Ægyptiorum de Chemia libros cremarit, ne ex ea arte divicias amplius colligerent, iisque confisi in posterum Romanis adversarentur.

Memoratu certe dignum videtur quod idem Svidas refert; Aureum scilicet vellus, quod Jason cum argonautis cepisse fertur, nihil aliud fuisse quam librum Chemicum de auro confiendo, in membranis scriptum.

(b) Tubal Cain enim, qui verus antiquissimorum Vulcanus habetur, octavus ab Adamo fuit, & a ferrumque ita parare scivit, ut utensilia inde consecerit; quod quidem metallurgiae minime vulgarem arguit notitiam. Mox post Diluvium a Chami Familia & posteris in ægypto summo cum studio exculta est Chemia: deinde procedente tempore ad Græcos, Romanos, Arabes, tandem alias Europæos demigravit; Quamquam nec verosimile sit tamen, Europæ & reliquarum orbis partium incolas eousque penitus hujus scientiæ ignaros esse potuisse.

Quod Sinenses ab antiquissimis retro temporibus Chemicæ scientiæ operam dederint, de transmutatione quoque metallorum ignobiliorum in aurum & argentum, & medicinæ universalis detegenda maxime fuerint folliciti dubium non est, & vix a ceterioribus populis ad eos translatum esse nobis persuadebit quisquam; cum constet pulverem pyrium, artem typographicam & alia id generis inventa illis priusquam nobis innotuissent.

(c) Hinc de origine Chemicæ ludicra adeo adoptarunt segmenta, ut a Dæmonibus, filiabus hominum in pretium amoris, hanc artem primo traditam esse velint & crediderint filios Dei, quorum Gen. VI; v. 2. sit mentio hujusmodi fuisse Dæmonas. Etenim in libro, qui inscribitur. Χρῆσις Ζωτική, τὸ πανοπλίζ, Φιλοσόφη, &c. hæc habentur verba. Τέτο δὲ ἴφασιν ἀρχαῖαι καὶ θεῖαι γραφαὶ,

ὅτι ἄγγελοι ἐπιθύμησαν τῶν γυναικῶν, καὶ καθελθόντες ἐδιδάξαν ἀντὸς τῆς Φύσεως πάντα τὰ ἔργα. οὕτω εὑρίσκεται ἡ πρώτη παρέδοσις ΧΗΜΑῖς περὶ τόπων τῶν οὐχίων. ἐκάλεσαν δὲ πάντα τὰ βιβλία ΧΗΜΑ. ἐνθεν καὶ ἡ τέχνη ΧΗΜΙΑ καλεῖται.

Sic animus hominum rerum incertus vergit in figmenta placetque sibi in ludicris qua deinceps adoret figmentis. Boerh. El. ch. T. I.

## §. II.

**U**Tilitas Chemiæ adeo late patet, ut ex scientiis & artibus utilissimis, vix ulla excogitari queat, in qua eximus plane ejus non sit usus.

Absit ut in doctrina illa sanctiori vel Theologia usum Chemiæ vel nullum vel saltim exiguum plane existimes, cum tamen sit maximus & abundantissimus; Etenim non modo superstitiones varias cognitis genuinis eventuum causis propellit, verum etiam pulcherrimas Theologo cordato suggerit meditationes. In abditissimis naturæ latebris nova quotidie Sapientiæ & Bonitatis Divinæ detegit vestigia, corruptionis & generationis pulera admodum præbet exempla, ex vilissimis magnifica & gloriofa producit, producta destruit iterumque regenerat & perficit.

Contra calumniatores S. S. inter alia ostendit salem posse fieri insulsum & fatuum, quomodo aurum potabile reddi queat, idemque licet vulgaribus ignibus invictum nihilo tamen minus ab Apostolo recte φθεγγίᾳ & corruptioni obnoxium dici.

Ostendit denique corpus nostrum ex mero muco aut

aut gelatina facile fatiscente & foetente constare, pulverem esse, & divaporantibus aqueis & aquæ confortibus particulis in pulverem redire.

In Medicina quantus & quotplex Chemiæ sit usus nemo est qui ignorat.

In Physiologicis, Pathologicis & Therapeuticis, nunquam ex votis proficiet Medicinæ studiosus; nisi Chemiæ lumine coadjutus. Hæc corporis statum rite cognoscere, (*a*) causas morborum detegere (*b*) & remedia salutaria parare (*c*) docet.

Oeconomia tam publicæ quam privatæ quantum prospicit Chemia, dici vix potest. Res Metallica tota Chemicis nititur fundamentis (*d*). Agricultura, Praticultura & Sylvi cultura, Chemicorum curas & industriam anxie efflagitant (*e*).

Artes Manuariæ quævis, aut multum debent Chemiæ, aut Chemicæ actu potissimum absolvuntur (*f*). Commercia denique ipsa, quod jam commode satis & cum lucro institui queant Chemiæ acceptum referunt (*g*).

De arte vero coquinaria & Zythopœia, quid dicam? quarum immediatus adeo in cuiuslibet vita quotidiana est influxus, quæque artes in totum Chemicæ sunt propriæ, ex quibus sanitas & vita nostra tota fere dependet, quarum nihilominus artifices ipsa artis principia genuina penitus adeo negligunt? Certe dubium non est myriades hominum justo magis acceleratam subire mortem ex sola hac parte Chemicæ adeo neglecta. Docuit nos Chemicorum industria, docet fortuita non

raro experientia, posse ex malto parari cerevisiam adeo præstantem, ut a vino vix differat generosissimo. Asseverat Bœrhaevius se ex farina & malto obtinuisse spiritum vini tam pulcrum, quam ullo de vino eumque fragrantissimum, nullo omnino nidore ingrato præditum. Experiuntur idem sæpius curiosi; hæc tamen artificia rara admodum sunt, neque unquam nisi a Chemicis rite addiscenda.

Sed mittamus hæc omnia, & quam in variis disciplinic Phisiçis Chemia præstat utilitatem paucis videamus.

---

(a) Licet corpora viva & texta, quatenus talia, neutriquam, pro subjectis Chemicæ sint habenda, tamen mixtio animalis tam in partibus solidis quam fluidis, summa quoque corporis ad putredinem proclivitas per hanc artem recte investigantur. vid. Junck. consp. Chemicæ Tomum I. p. 9.

Narret fideliter corporis partes & fabricam Anatome, firmis adplicet partibus sua Mechanicus, communes humoribus Leges adferat Hydrostaticus, demonstretque liquorum per notos canales actiones sua ex disciplina pulcherrima Hydraulice, tandem suppeditet ad hæc omnia quicquid ulla valet industria; Chemicorum tamen casta doctrina condetur, nisi me fallit animus, perfecta Physiologia medica. Bœrhay. El. Chem. T. I.

(b) Causas, modos & effecta humorum degenerantium in corporibus nostris vix quisquam dabit nisi Chemicus. Quid acre, quotuples illud, quidque in nobis idem patiat, unde ortum trahat, unde coeant partes sanguinis, unde coacta resolvantur, Medicus Chemicæ peritus & non laius liquido perspiciet.

(c) Va-

(e) Varia enim & subinde efficacissima medicamenta extrahere & componere docet.

(f) Infinita adduci possent emolumenta, quæ diviti manant vena ex Chemia in totam rem Metallicam, si nostri propositi id permetteret ratio.

Certe in Finlandia nostra profusa mineralium venas vix facilitiori quisquam detegit artificio, quam juventus nostra Academica in mineralogicis & docimasticis diligenter proficiens, quæ ideo ut quam primum in lucem prodeat opus Mineralogicum excellentissimum, quod ad Scientiam perficiendam molitur Reverendissimus Dn. Doctor Episcopus & Pro cancellarius JOHANNES BROWALLIUS, summo cum desiderio expedit exspectat.

(g) Sic modum agros hortos & prata rite saginandi, & parandi vegetabilia earumque partes quasvis suis usibus conservandi, nemo bene perspiciet, nisi qui terra hujus vel illius conditionem, principiorum vegetationis & vegetabilium eorumque singularum partium naturam indolem & diversitatem ex Chemia bene perpendere didicerit.

(f) In fabricando panno de lana, lino, serico & gossypio, tam preparatio varia ipsius rudimentaræ, quam officis ulterior continuatio multa supponunt Chemica. Imprimis vero ars Tintoria tota Chemia est filia. Hæc non modo varia suppeditat media superficiem tingendorum bibulam faciendi, ut bene admittat retineatque colores, quos haud sine artificio, pro re nata vel teneros, vel saturos floridosque reddit, ut illibatum splendorem constantissime servent.

Ars pictoria, quæ res visui patulas vivis exprimit coloribus, quæ inter nobilissimas & pulcherrimas omni ævo habita est ideoque Regibus semper in deliciis & in honore fuit, pigmenta oculis gravissima nec edacitati temporis obnoxia a Chemicis posuit.

Quan-

Quantam tabulis quibusvis magnificentiam & splendorem vernigo conciliare queat, nemo non novit. Hujus vero potissima præparata Chemica sunt, neque Tincturas huic operi necessarias alias dabit quam Chemicus.

Artificium illud metalla incrustandi pulcherrimis simul & jucundissimis pigmentis vitri splendore fulgentissimis, Encastice, Chemicorum tota est. Hæc præparata omnis amœni varietate ludunt neque ullo facile corrumpuntur tempore.

Formas porro vitro ad pictas fulgentissimis insignes coloribus, tales præstiriterunt genuini in hac arte Magistri, ut inducta vitri superficie pigmenta vi ignis excocta aucto priore fulgore & ad diaphaneitatem liquidissimam diffusa in ipsum corpus vitri se penetrarent, neque tamen extra lineamenta definita ullo modo divagari vel proxima confundere possent. Cujus rei stupenda miracula Gvadani templi in Hollandia lumina ostentare refert ante laudatus Bœrhaius.

(g) Commercia quantum debeat Chemicæ, non modo ignobiliora docent metalla, quorum ingens copia ultro citroque continuo a mercatoribus cum lucro vehi solet; sed nobiliora potissimum, absque quorum ministerio commercia difficillime institui possent. Neque Naves absque ferro construi, nec sine Pice ex lignis destillata a putredine conservari possent, & sic in ceteris.

### §. III.

**Q**uemadmodum omnis nostra in Physicis scientia originem debet sensibus, utcunque enim sollicite mens humana se examinet, nullam sibi formare potest ideam corporis alicujus, nisi quatenus in organa id operatum fuerit; ita ad hanc scientiam

tiam acquirendam omnes invocandi sunt sensus, & ad omnia, quæ observari possunt phænomena summa cura attendendum. Hæc vero observata sensuum ope comparata componendo inter se, ratio longe plura colligit multoque profundius in corpora penetrat.

Hac potissimum methodo innotuerunt, quæ jam in Physica generaliori exponi solent corporum affectiones; quod vero hæ absolvant omnes, quæas corpora inter se habent communes, proprietates, vel quod hæ corporum naturam efficiant, profecto non nisi summe temerarius affirmabit.

Si itaque plures corporum proprietates sint detectæ, si quænam illarum magis minusve universalis sit habenda rite eruendum; vera ad hunc scopum perveniendi methodus consistit in sedula observationum collectione notandisque corporum phænomenis.

Quam vero multa sunt, quæ sponte nunquam semet contuenda præbent phænomena, quam multa eorum quæ arte & de industria excitantur, a foliis Chemicis præstanta? Adsit terra nitrofa, adsit sulphur, adsit carbones, adsit Philosophus acutissimus, Chemiæ ignoret arcana, cæteroquin quid valeat ex datis corporibus præstare experiatur; nec nitrum unquam obtinebit verum; nec pulveris pyrii stupenda contuebitur phænomena. Adsit corpus quodcunque aliud examini subjiciendum, summus adsit Mathematicus, a Chemicorum in instituendo examine abstineat artificiis, & parum certe proficiet. Visu, magnitudi-

nem, figuram, pelluciditatem, colorem, Tactu molitiem, duritiem, calorem, frigus, elasticitatem, gravitatem, Naribus odorem, Lingva saporem, Aribus sonum observet, in minutissima dividat, divisa optimis intueatur microscopiis, & quæcunque demum alia excogitare poterit artifacia adhibeat; plurima tamen & potissima semper desiderabit, donec liceat corpus examinandum, continuatis ex legibus Chemicorum ignis gradibus, a lenissimo ad fortissimum subjecere, eundemque nunc apertum nunc clausum, nunc vulgarem, nunc artificialem, corpori examinando applicare, donec liceat fundendo, elixiendo, evaporando, crystallisando, fermentando, destillando, putrefaciendo, menstrua quævis adplicando, sicque in partes suas constituentes, dividendo, & divisa iterum ex legibus artis combinando, secum invicem & cum aliis corporibus miscendo examinare, & quæ in quolibet processu occurrant phænomena, observare.

Quis quæso negaverit hanc methodum, utpote veram & genuinam ad corporum affectiones detegendas recte via ducere; Quo enim copiosiores sic instituuntur observationes, eo plura data acquiruntur, pluresque fieri comparationes possunt, atque eo uberior materies suppeditatur ratiocinio, cuius opere sic maxime occulta de corporibus detegentur, quæ in æternum cæteroquin latebunt mortales.

In generaliori illa de attributis corporum doctrina quid jam præstiterit Chemicorum indefessa sedulitas nemo est qui ignorat. Ut reliqua taceam, solius

folius attractionis mentionem injecisse sufficiat; cuius nulla magis perspicua & jucunda prostant exempla, quam quæ ex solutionibus præcipitatis & effervescentiis Chemicorum imprimis peti solent.

Doctrina de Elementis corporum sic dictis, Ignē, Aëre, Aqua & Terra, nisi illa ad Chemiam tota sit referenda, certe Chemicæ auxilio destituta, vix quidquam præter speculationes sola mente natas continebit. Neque tamen horum Elementorum notitia unquam carere potest Physicus, in eorum phænomenorum, quæ suæ sunt considerationis, genuinis causis detegendis; latissime enim patet ejus in omnes & singulas disciplinas Physicas influxus. Patebit id ipsum exemplo ignis, qui in universa rerum natura ubique est præsens, & in corpore solidissimo auri, & vacuo maxime inani Toricelliano habitat, omniaque corpora & spatia obfit. Inde fit, ut in universa Physica omnium deprehendetur difficillimum ipsissimam ignis actionem perfecte distingvere ab iis, quæ aliæ concorrentes causæ conferunt ad quemlibet rerum evenitum. Dum interīm ignis adeo sit diversæ ab hisce indolis, ut absque ultima rerum confusione & sine summo ubique perturbationis periculo cum iis misceri nequeat, uti id ipsum eleganter satis observavit nunquam pro meritis suis debite celebrandus Boerhavius. Et licet ignis naturam nemo adhuc ex votis perspicerit, nec forte unquam perspiciet; quidquid tamen hac in parte jam præstatum est, id potissimum Chemicis acceptum erit

referendum, qui in pervestiganda & magis magisque dilucidanda ignis natura indefessos semper collocarunt labores, ideoque se Philosophos per ignem olim professi sunt, neque splendidiori titulo se ornari posse crediderunt.

Cum totum Globum hunc nostrum circumfundat Aér, omniaque in illo reperiunda adeo impletat, ut vix ullus sit humor, cuius non immisceat se partibus, vix solidum unde aliqua arte educi nequeat. In illo semper degimus homines, fruimur illo assiduo; in hoc **omnia corporum ponuntur genera, suos perficiunt motus, suas peragunt actiones.**

Eius itaque penitior cognitio, quin Physico apprime sit necessaria, nullum est dubium; sed simul certissimum est, nullum corpus difficilius esse cognitu, etenim vix sensus afficit nostros & perfectissimorum microscopiorum artificium subtilitate eludit sua; tot quoque alia corpusculorum in se fovet genera, ut ex omnibus cæteris vix neverimus ullum, quin ejus aliquid in aëre volitet. Horum autem heterogeneorum in aëre corpusculorum nisi in explicandis naturæ phænomenis sollicita habeatur ratio, misere dicipietur Physicus & aëri tribuet effecta, quæ, si abfuissent alia corpora, minime præstitisset. Heterogeneorum in aëre præsentiam fuspicari potest Physicus, quæ & quales sint, qua copia existant, quos præstare poterint effectus, longe majori perspicuitate & certitudine Chemicis adjutus artificiis cognoscet. **Aquarum in Aëre abun-**

abundantia, licet saepius nudis oculis se contuendam exhibeat, & serenissima etiam tempestate in vacuo Boileano vitri interiora nebula vere aquosa obnubilet; evidentissime tamen larga ejus praesentia in quocunque aere, omni tempore & ubique visui praesens exhibetur a Chemicis per sales fixos alkalinos igneos siccios, qui aeri expositi aquam avide attrahunt & sponte liquefunt. Innumera fere salia in Aere reperiunda & acidi imprimis universalis in quavis terrestria actionem quis nisi Chemicus explorabit?

Quomodo Metalla quavis, ne auro quidem excepto, volatilisantur, & sub specie fumi volatilis in auras dissipari queunt experimenta igne facta docebunt.

Illis, qui sollicita cum cura ingenium elementi aquei intelligere fategerunt, vix alia quapiam res in naturalibus cognitu difficilior habetur, licet imperitorum unusquisque ejus naturam se penitus perspexisse existimat. Difficultas vero inde imprimis oritur, quod ægre separari queat aqua a cæteris corporibus & hæc vicissim ab aqua. (a). Neque vero heic suam operam auxiliaticem desiderari possunt Chemici. Sic e. g. dum fluiditatem aquæ ex particularum rotunditate, lubricitate &c. derivare infelici certe successu conati sunt Physicorum non pauci, & ad solidescentiam conglaciatae aquæ pro votis explicandam nescio quæ

quæ corporacula, quæ clavorum instar particulas aquæ figerent, mira certe fictione excogitarunt; Chemici contra ex sola ignis copiosissimi præsentia fluiditatem, ejusdemque imminutione conglagationem ut a causa proxima dependere multiplici argumentorum apparatu demonstratum volunt, licet modus, quo hunc effectum præstet ignis, explicatu sit ipsis difficillis, neque in sola expansione & condensatione aquæ temere statuendus.

Aquarum vis solvens qualis sit, quo usque se extendat, quibus mediis impediatur vel promoveatur Chemiæ gnarus optime norit, & sic in cæteris.

Terrei denique Elementi indoles, uti Physico plane scitu est necessaria, ita tota ex Chemicis fere erit addiscenda.

Meteorologia tota cum doctrinam de Elementis supponat, hinc neque Chemiæ ope carere poterit unquam.

(\*) Hinc cornu Cervi per seculum dimidium adeo exsiccatum ne lapis quidem siccior esse possit, nec limæ ferrea ipsum ferrum magis resistat; tamen in Chemicâ spiritus cornu cervi analysi copiosam præbent aquam. Saxa ipsa latentesque in nothina conmolita & in vasis siccissimis igni exposita semper aliquid aquæ emittere Chemicî sapientestantur. Hinc aqua roralis vel pluvialis purissima quæ unquam

unquam haberi potest eademque vel millesies destillata, semper tamen terreas & alias quasvis heterogeneas prodit particulas.

## §. IV.

**I**N Physica quoque Mathematica & omnibus Mathesis mixta partibus Chemicorum operæ & industriae multum debetur.

Quam quæso misera Optices universæ foret facies, nisi ars vitraria Mathematicorum expleret desideria, unde exquisitissimæ pelluciditatis & politurae lentes & prismata &c. similia sibi comparasset Newtonus? Unde exquisitæ adeo polituræ & duritiei metallum ad speculum causticum construendum obtinuissent Villetii nisi a Chemicis.

Figuras & cætera quædam hujusmodi instrumentorum attributa mente sola concipiunt Mathematici.

Quomodo materia huic proposito idonea sit conflanda, quomodo ad subtiliter conceptam figuram eadem apta reddenda, Chemicorum industria efficiendum est (*a*). Neque aliqualis & superficiaria sufficit artium Chemicarum ad hæc præstanda notitia, sed quemadmodum rite instituenda experimenta instrumenta requirunt accuratissime elaborata, & ad summum perfectionis gradum deducta, (*b*) ita penitior quoque in scientiis

ad

ad hunc finem præstandum necessario requiritur cognitio.

Leges Hydrostaticorum qua prudentia & circumspectione sint adoptandæ, quamque non sint extēndendæ ultra limites in hypothesi atque demonstratione Mathematica definitos, optime animadvertisit Chemicus, dum videt aurum, quod in omni alio liquido, juxta præscriptas leges, fundum semper petit, in levi tamen aqua regia suspensum dispergi.

Aërometriæ, quam dolenda foret cognitio, nisi ex vitrariorū & Metalli fabrorum officinis instrumenta suo proposito idonea ejus obtinere potuissent cultores. Antliæ Pneumaticæ nullæ, Barometra & Thermometra nulla confici potuissent.

Hæc vero omnia ulterius persequi nostri instituti non permittit ratio, mitiorem itaque B. L. expertentes censuram, filum hujus qualiscunque tractatiunculæ, exercitii gratia unice conscriptæ, hic abrumpimus.

---

(a) Notissimum est, eximiam illam quam Mathematici mente concipiunt excellentiam & perfectionem speculi caustici, opere tamen ipso nullum artificem adhuc præstare potuisse, neque in sola figura cavitatis speculo concilianda omnis posita est difficultas. Invenienda est quoque materies huius operi magis idonea, densissima, candidissima & maxime elatica, eademque si unquam invenietur Chemicis propria erit.

(b)

(b) Illustre Exemplum doctrina colorum suppeditat, in qua ope vitreorum prismatum, in quibus nec venæ nec bullæ, nec arenæ nec incisuræ conspiciebantur, admirandum illud lucis phænomenon invenit illustris Newtonus, radios scilicet e sole emissos, penicilli instar componi ex radiolis ex illoribus omni genere colorum & diversa refrangibiliate donatis, qui colores innati immutari perstant, quomodo cunque radii tractentur, separentur, refringantur, reflectantur, ita ut rubri ruborem, virides virorem, flavi flavidinem semper conservent; Hæc vero doctrina quam non est in dubium vocata? Ipse Mariottus, in capiendis licet experimentis haud vulgariter versatus, vulgaria adhibens prismata, ex impuro fusa vitro, venis gyrisque interrupto, nec satis planis superficiebus prædicto immutabilitatem coloratorum radiorum observare nunquam potuit; sed vitrarium imprudentia deceptus, suos volumine non exiguo de coloribus evulgavit errores. Plura, qui desiderat hujusmodi exempla aedat Cl. Musc. br. orationem de methodo instituendi experimenta Physica.



VIRO JUVENI  
POLITISSIMO Atque ERUDITISSIMO  
**Dn. JACOBO BENEDICTIO,**  
SOLENTISSIMO DISPUTATIONIS HUJUS AUCTORI, AMICO AC  
POPULARI HONORATISSIMO.

**Q**uum fere dicatur, amicorum omnia esse communia; nihil mirari convenit, meam voluptatem cum ceterorum letitia confirare, quibus necessitudine, familiaritate, aliove vinculo Tecum Amicissime Domine, conjuctos esse contingit. Tibi itaque Dissertationem Tuam, adprobantibus Masis ipsis, de Utilitate Chemiae præsertim in Physicis publici juris facture non possum non publica, eaque amica voce gratulari. Gratulor, & ex intimis cordis recessibus gratulor Parenti Tuo, soli superstii Honoratissimo, filium sue expectationi & spei apprime respondentem. Gratulor etiam Tibi amice honoratissime, felicissimas ingenii dores & egregios in studiis progressus. Gratulor honores, quos in eruditionis & virtutis Tuæ præmia, in posterum consecuturus eris. Quod reliquum est, DEUM T. O. M. verbis supplicibus orabo, velit semper ita Tibi adesse, ut conatus Tui honestissimi opulatam attingant metam.

*Ita animo amico aplaudit.*  
CHRISTOPHORUS HERKEPÆUS.